IV.

De marmore viridi Veterum.

Scripsit Th. C. F. Tafel.

BU 0085 313 86

A105 948

Ultimo tempore cum per cujusdam scriptionis opportunitatem urbes Thessaliae et Macedoniae potiores lustrarem, non semel tantum incidi in marmoris viridis nobilissimi reliquias, quod apud homines novitios nomen gerit *Verde antico.* Id marmor inter ea saxa pretiosiora referri constat, quorum metalla exhausta putantur vel omnino ignorantur. Egit de eo Caryophilus in libro: De antiquis marmoribus (Vindob. 1718. Fol. min. Utraject. 1743. form. quad.), ita tamen, ut parum distinguat utramque ejus speciem, deinde historiam ejus non aliter, nisi summo fere digito attingat. Multo etiam brevius alii ejusdem mentionem fecerunt. Unde operae pretium duxi, peculiarem diatribam ei lapidi insumere, quam doctiorum judiciis subjicio.

Dissertationi meae praemitto itinerarii Clarkiani locum (Vol. 4. p. 356): *From the Rotunda* (Thessalonicensi) *we went to see church of St. Sophia .. This building is now a mosque, corresponding in all its proportions with that which bears the same name in Constantinople; but being of less magnitude. It is, however, exceedingly well worth seeing, owing to the columns of Verde Antico, which it contains: they are mentioned by*

Pococke. There is also here another extraordinary Bêma, or Suggestum, made also of the Verde-Antico, with steps leading up to it; the whole being of one entire mass of this beautiful substance. The quantity of it in Salonica seems only to be explained in the vicinity of the city to the place, where we observed its natural deposit in the Vale of Tempe. De ultimis Clarkius egit l. c. p. 282 sqq., ubi ex Caryophilo quaedam repetit de Atrace, Thessaliae urbe, solo natali prioris speciei marmoris nostri.

Marmor viride veterum duplicis speciei esse, e Caryophilo constat. Prius fuit *Atracium*, posterius *Lacedaemonium*. Alia minoris notae marmora veterum viridia in sequentium paginarum decursu obiter memorabo. Prius agemus de *Atracio*.

Graecorum Byzantinorum aevo *Atracium marmor* dicebatur *saxum viride Thessalicum*, cujus patria, ut jam Caryophilus ostendit l. c. p. 40. sq. ed. Vindob., urbs Atrax fuit, de qua videndus Livius 32, 15: *Inde Atracem est profectus; decem ferme millia ab Larissa abest .. sita est super Peneum amnem.*

Non unius speciei Atracium (et Lacedaemonium) saxum fuisse, ex Julio Polluce conjicere licet, qui in Onomastico suo (7, 100. p. 759. ed. Hemsterhus.) haec habet: *Πολλὰ δὲ εἴδη λίθων· Φρυγία, Λάκαινα, Λίβυσσα, Εὐβοῖς, Θετταλῆ, Αἰγυπτία. Καὶ τούτων δὲ ἰδέαι πλείονες.* H. e. *Multa sunt lapidum genera: Phrygium* (marmor), *Lacedaemonium, Libycum, Euboeum, Thessalicum, Aegyptiacum. Horum vero ipsorum sunt species plures.* Optime totam rem aperit eximius Pauli Silentiarii locus, qui Justiniano imperatori coaevus fuit, in Descriptione S. Sophiae 2, 224. sqq. (ad calcem Cinnami ex ed. Paris. et Ven.): *Καὶ Ἀτρακὶς ὁππόσα λευροῖς Χθὼν πεδίοις ἐλόχευσε, καὶ οὐχ ὑψαυχένι βύσσῃ, Πῇ μὲν*

ἅλις χλοάεντα, καὶ οὐ μάλα τῆλε μαράγδυ, Πῇ δὲ βαθυνομένου χλοερῇ κυανώπιδι μορφῇ. Ἦν δέ τι καὶ χιόνεσσιν ἀλίγκιον, ἄγχι μελαίνης Μαρμαρυγῆς· μικτὴ δὲ χάρις συνεγείρετο πέτρυ. H. e. *Et quodcunque Atracis terra patentibus in campis genuit, non in jugis excelsis: aliud satis viride, nec a smaragdo valde diversum; aliud colorem viridis saturi caeruleum referens. Est ibi quoque quidpiam nivi simile, accedens ad nigrum fulgorem; unde mixtus in unum coit saxi decor**).

Habes solum marmoris viridis Thessalici nativum, sc. planitiem urbis Atracis, non montes vicinos; habes duplex triplexve ejus genus, satis clare descriptum.

Verum age usum marmoris Atracii ex historia Byzantina post Caryophilum de antiqu. marmoribus (ed. Vindob.) diligentius illustre-

---

*) De marmore viridi veterum videatur *Nouveau dict. d' hist. naturelle.* Nouv. ed. T. 19. p. 273: *Le vert antique.* „C'est un marbre serpentineux, qu'on peut classer dans les brèches. Sa pâte est un calcaire blanc, à petits lames, comme le *marbre blanc*, et les nombreux fragmens, qu'elle contient, sont vert-d'herbe et vert noirastres; mais le ton dominant est le vert taché de blanc. Il y en a de deux variétés principales: dans l'une les parties serpentineuses et les parties calcaires sont tellement fondues, que l'on hésiteroit à classer ce marbre au rang des brèches; l'autre, par un caractère contraire, reçoit le nom de *vert antique* brèché; dans une troisième on observe des fragmens bruns et des fragmens gris; toutes les parties n'ont que de petites dimensions. Ce *marbre* est sans contredit un des plus magnifiques et l'un des plus propres a la décoration intérieure des édifices somptueux. Ses couleurs, agréablement nuancées, et son ton sévère, le rendent très-propre à cet usage. L'on en voit quatre colonnes au louvre, dans la salle, ou étoit placé le Laocoon. Ce *marbre*, qui se trouve fréquemment dans les fouilles des anciens monumens, est néanmoins fort cher: il est très-probablement le *marmor spartum* (?) ou *lacedemonium* des Romains, qui, si l'on s'en rapporte au nom, devoit exister aux environs de Lacédémone, en Morée, et non pas auprès de Thessalonique, en Macédoine (??)" De pretio hujus marmoris apud mercatores archaeologicos Italiae hodiernae (sec. XVIII.) v. Volckmanni hist.-krit. Nachrichten von Italien. T. 2. p. 765. sq.

mus, qui doctus non plura illius aevi testimonia affert, quam haec: Paulus Silentiarius l. c. 1, 255. 2, 224. sqq. Codinus de Antiqu. Cpolit. p. 65. ed. Paris. Constantinus Porphyrog. in Basilio Macedone cap. 88. (de octo columnis viridibus). Eumathius de amor. Ismen. I.

Primo adeamus *S. Sophiam*, ab Justiniano imp. conditam, in qua non semel tantum hoc marmor nobilius conspicitur. Paulus Silentiarius l. c. 1, 254. sq.: *εἰσὶ δὲ πορφυρέαις ἐπὶ κίοσι κίονες ἄλλαι, Ἀγλαὰ Θεσσαλικῆς χλοερώπιδος ἄνθεα πέτρης.* H. e. *Porphyreticis hisce columnis incumbunt aliae, viridis saxi Thessalici flores splendidi.* Idem ibid. 258: *ἓξ δ' ὑπὸ Θεσσαλικῇσι καὶ οὐ δυσὶ κίοσι* (*sub Thessalicis sex columnis, non vero sub duabus*, sc. fulgent mulierum signa). Idem ibid. 262: *πάντα δὲ Θεσσαλικοῖο μεταίχμια κίονος ἀνὴρ Λαϊνέοις ἔφραξεν ἐρείσμασιν* (*at quidquid inter Thessalicas columnas interjacet, lapideis pluteis communiit artifex*). Idem ibid. 2, 192: *Θεσσαλίδος πέτρης ἀμαρύγματα* (*Thessalici saxi splendores*, ubi sermo est de gynaeceo S. Sophiae). Idem ibid. 150. sq.: *Κίοσιν .. ἁβροῖς Θεσσαλικοῖσι* (loquitur de baptisterio). His adde ejusdem locum superius allatum de patria hujus marmoris. Idem in descriptione ambonis 226: *Θεσσαλικῇ δ' ἑκάτερθεν ὅλην χλοερώπιδι πέτρῃ Ἀτραπὸν ἐφράξαντο.* Idem ibidem 228: *Ἀμφὶ δ' ἑκάστῃ Θεσσαλικῇ λάϊγγι παρίσταται οἷά τις ἄλλος κίων ἰσοτενής.* 250: *πέτρης Θεσσαλικῆς βάσις.*

Jam videamus *seriem sarcophagorum imperatoriorum in urbe Byzantio.* Constantinus Porphyrogenitus de cerimoniis aulae Byzantinae 2, 42., ubi agitur de sarcophagis imperatorum, qui sunt in templo SS. Apostolorum (ed. Bonn. T. I. p. 642. sqq.): *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θετταλὸς, ἐν ᾧ ἀπόκειται Ζήνων ὁ βασιλεύς* (a. 474—491). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πρασίας λίθυ Θετταλικῆς, ἐν ᾧ ἀπόκειται Μιχαὴλ ὁ βασιλεὺς* (a. 842—867) *ὁ υἱὸς Θεοφίλυ* (a. 829—842). Ibi additur, in eo sarcophago olim conditum fuisse Justinum priorem

imp. (a. 518—527). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θετταλὸς, ἐν ᾧ ἀπόκειται Βασίλειος* (a. 867—886) *σὺν Εὐδοκίᾳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ* (a. 886—912). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θετταλὸς, ἐν ᾧ ἀπόκειται ἡ ἁγία Θεοφανὼ, ἡ πρώτη γυνὴ τοῦ μακαρίου Λέοντος σὺν Εὐδοκίᾳ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ* (a. 886—912). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θετταλὸς, ἐν ᾧ ἀπόκειται Εὐδοκία, ἡ τρίτη γυνὴ τοῦ αὐτοῦ κυρίου Λέοντος, ἡ ἐπονομαζομένη Βαΐνη.* Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος, ἐν ᾧ ἀπόκειται Φαβία, ἡ γυνὴ Ἡρακλείου* (a. 610—641). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πρασίνου Θεσσαλικοῦ, ἐν ᾧ ἀπόκειται Φαύστα, ἡ γυνὴ Κωνσταντίνου Πωγωνάτου* (a. 668—685). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ, ἀπὸ λίθου πρασίνου Θετταλικοῦ, ἐν ᾧ ἀπέκειτο Κωνσταντῖνος, ὁ υἱὸς τοῦ Ἰσαύρου, ὁ ἐπικληθεὶς Καβαλλῖνος. Ἀλλ' ἐξεώθη ὑπὸ Μιχαὴλ καὶ Θεοδώρας, καὶ κατεκάη τὸ δύστηνον αὐτοῦ σῶμα. Ὁμοίως καὶ ὁ λάρναξ αὐτοῦ ἐξεώθη καὶ κατεπρήσθη (κατεπρίσθη), καὶ ἐχρημάτισεν εἰς τὰ τοῦ Φάρου (φόρου?) συστεμάτια (συστρεμμάτια?). Καὶ γὰρ καὶ τὰ μεγάλα ἀββάκια (ἀβάκια), τὰ ὄντα ἐν τῷ αὐτοῦ (αὐτῷ) Φάρῳ (φόρῳ?), ἐκ τοῦ αὐτοῦ λάρνακος τυγχάνοντά εἰσιν.* H. e. *Alius Sarcophagus e saxo viridi Thessalico, in quo jacebat Constantinus* (V.), *filius* (Leonis) *Isauri* (a. 717—741), *cognominatus Caballinus* (a. 741—775). *Verum Michael* (III. a. 842—867) *et Theodora miseras ejus reliquias, inde ejectas, igni combusserunt. Similiter Sarcophagus ejus ejectus, serraque dissectus, inserviit ad fori repagula* (postes?). *Quid? quod magna etiam abacia ejusdem fori ex eodem sarcophago facta sunt**). Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θεσσαλὸς, ἐν ᾧ ἀπόκειται ἡ γυνὴ Καβαλλίνου.* Idem ibidem: *Ἕτερος λάρναξ πράσινος Θετταλὸς, ἐν ᾧ ἀπό-*

---

*) Paulo aliter hanc rem narrat Georgius Monachus in Michaele cum matre Theodora cap. 52. (scriptt. post Theophanem p. 540. ed. Paris. p. 404. ed. Ven.): *Τὴν δὲ λάρνακα τοῦ Κοπρωνύμου, πράσινον οὖσαν καὶ θαυμαστὴν διαπρίσας, ἐποίησε στηθέα (?) ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντι ναῷ ἐν τῷ Φάρῳ (φόρῳ?).*

κειται Μιχαὴλ ὁ Τραβλός (a. 820—829). Idem Constantinus ibidem pag. 646: Ἰστέον, ὅτι ἐν τῇ γυναικείᾳ μονῇ τὰ Ἰουστίνου, ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ, ἐν λάρνακι ἀπὸ λίθου πρασίνου Θεσσαλοῦ ἀπέκειτο τὸ σῶμα Ἰουστίνου (Justini II. a. 565—578) τοῦ βασιλέως καὶ Σοφίας (Εὐφημίας mavult Reiskius) τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Additur deinde, eorum reliquias in viliorem sarcophagum, saxi Proconnesii (item viridis), translatas fuisse. Ibidem p. 648: Ἐν δὲ τῷ πρὸς ἀνατολὴν δεξιῷ μέρει τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ἀπέναντι ταύτης τῆς σταταραίας, ἐστὶν ἑτέρα σταταραία ἀπὸ λίθου πρασίνου Θετταλοῦ, ἐν ᾗ ἀπόκειται Μαριανὸς, ὁ γεγονὼς δομέστικος τῶν σχολῶν, καὶ Συμβάτιος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἀμφότεροι ἀδελφοὶ Βασιλείου τοῦ φιλοχρίστου δεσπότου. H. e. *In dextra ejusdem ecclesiae* (sc. S. Euphemiae formosae dictae) *plaga, versus orientem, e regione hujus statareae* (conditorii?), *est alia statarea e marmore viridi Thessalico, in qua jacent Marianus, domesticus olim scholarum, et Symbatius, frater ejus, ambo fratres Basilii* (Macedonis a. 867—886) *deum amantis imperatoris.*

His expositis adeamus *palatia imperatorum* Byzantinorum. Constantini Porphyrogeniti continuator in Theophilo, Michaelis filio (a. 829—842), cap. 43. (Scriptt. post Theophanem p. 89. ed. Paris. p. 66. ed. Ven.): Ἀλλ' ὁ μὲν Καμιλᾶς ἓξ κίοσιν ἐκ Θετταλικοῦ λίθου, τοῦ καὶ πρασίνου, τὴν χρυσοκατάστικτον ὀροφὴν μετεωριζόμενος (*Camilas dictum cubiculum tectum habet auro distinctum, quod columnae sex Thessalici saxi s. viridis suffulciunt.*)

Idem marmor in *Novis Aedibus* (Καινούργιον) conspicimus, quas sibi Basilius I. Macedo (a. 867—886) in Palatio condidit referente Constantino Porphyrogenito in Basilio Macedone cap. 88. (Scriptores post Theophanem ed. Paris. p. 204. 205. ed. Ven. p. 152.): Οἱ μὲν ὀκτὼ τούτων (columnarum) ἐκ λίθου τυγχάνοντες Θετταλῆς, ᾗ τὸ πράσιον χρῶμα κεκλήρωται. Idem ibidem: Ἔξωθεν δὲ (extra circulum pavi-

menti) *καὶ τούτου καθάπερ τινὲς ῥύακες ἢ ποταμοὶ ἐκ λίθυ Θετταλῆς, ἢ τὸ πράσιον χρῶμα κεκλήρωται.* Fluvios in musivo opere lapide viridi depingebant, referente Anonymo in S. Sophiae descriptione (Antiqu. CPolit. lib. IV. p. 79. ed. Paris. p. 68. ed. Ven., coll. Codino de origg. CPolit. p. 72. ed. Paris. p. 57. ed. Ven.): *εἰς δὲ τὸν πάτον μὴ δυνηθεὶς εὑρεῖν τοιαῦτα πολυποικίλα καὶ μέγιστα ἀβάκια, καὶ* *) *ἀποστείλας Μανασσῆ πατρίκιον καὶ πραιπόσιτον ἐν Προικοννήσῳ, ἐποίησεν ἐκεῖ τὰ μάρμαρα εἰς ὁμοιότητα τῆς γῆς, τὰ (δὲ) πράσινα εἰς ὁμοιότητα τῶν ποταμῶν τῶν ἐμβαινόντων ἐν τῇ θαλάσσῃ.* H. e. *Ad sternendam viam cum nancisci non posset* (Justinianus imp., illius ecclesiae conditor) *hujusmodi tabulas multicolores et praegrandes, misso Manasse patricio et praeposito Proconnesum, marmora ibi fieri jussit ad terrae similitudinem* (i. e. fusca), *et prasina ad similitudinem fluviorum in mare exeuntium.* Ubi mihi pavimentum minoris dignitatis pretiique significari videtur, scilicet sternendae viae in S. Sophia inserviens. Proconnesium vero marmor viride tum ex hoc loco cognoscitur, tum ex alio, Constantini Porphyrogeniti, de cerimoniis aulae Byzantinae 2, 42., supra allato, ubi reliquiae Justini imp. et Sophiae e sarcophago saxi viridis Thessalici translatae esse dicuntur in humilem arcam (*χαμοσόριον*, i. e. *χαμαισόριον*, arculam humilem vel humi positam) e lapide Proconnesio s. Picrimaeo; ex quo utroque loco, Anonymi, inquam, et Constantini, simul saxi viridis Proconnesii minor honos cognoscitur.

Habes hujus marmoris, Atracii inquam, per sex fere secula (V—X., sc. Zenonis imperium usque ad regnum Leonis Sapientis) historiam quandam. Ceterum sepulcralia illa magnae molis monumenta Constantinopolitana nequaquam erant reliquiae antiquioris marmoris, cujus lapicidinae tum vel usu absumtae erant, vel in oblivionem

*) Delendum *καί*.

abierant. Erant, ut alii sarcophagi, monolitha, ex una mole fabricata, excepto operculo; e vivo igitur saxo secabantur. Quid? quod ex hujus lapidis sarcophagis nonnunquam alia artis opera conficiebantur, coll. Constantini loco supra allato de Constantino Caballino imperatore. Neque etiam hos sarcophagos aliorum antea imperatorum conditoria fuisse putes: obstabat religio, quam a Graecis fere solo aevo iconoclastico circa talia violatam esse constat Immo Atracis urbis latomiae neminem Graecorum Byzantinorum latebant, luculenter testante Paulo Silentiario, cujus eximium locum initio hujus tractationis repetii. Ex ista igitur regione saxum viride Thessalicum medio aevo in Penei fluvii alveo Larissam, in qua urbe multae ejusdem marmoris reliquiae etiamnunc conspiciuntur (Clarke Travels Vol. 4. p. 281.), deinde ad mare Aegeum devectum esse opinor, e quo Byzantium et in alias urbes devenit. Fuit enim Peneus prisco aevo navigabilis, narrante Plinio H. N. 4, 15. (8): *Peneus... defluens quingentis stadiis, dimidio ejus spatii navigabilis;* id quod Atracis situi apprime convenit. Nec minus clarum jam esse videtur, copiosas hujus marmoris in vicina Macedonia reliquias (Clarke l. c. p. 356. Cousinéry voyage Vol. I. p. 82.), inprimis σορὲς, quae hodie ibi terrarum ad cisternas puteosque insumi solent, non omnes e monumentis aevi remotioris s. gentilitii, originem traxisse; praesto erant Thessaliae metalla, quae medio aevo nunquam non exercita fuisse puto, quanquam post Constantinum Porphyrogenitum (sec. X.) veterum scriptorum testimonia desidero. *) Sed marmoris viridis columnas tabulasque habet etiam

---

*) Eumathius (vixisse dicitur aevo Comnenorum) de amoribus Ism. I. p. 9. ed. Gaulmin.: *Λίθος ἦν ὁ αὐλὸς, λίθος ἑκατοντάχρους ἐκ Θετταλῆς λίθου.* H. e. *Lapideus est tubus (putei) ex lapide Thessalico multicolore.* In quo Eumathii loco, corrupto, in fallor (quid enim est *λίθος ἐκ λίθου*?), incertum est, num viride saxum Thessalicum significetur, an vere multicolor. Idem ibid. p. 13.: *Τὰ κύκλωθεν ἐκόσμει τοῦ φρέατος λίθος Χῖος, ὁ ἐκ Λακαίνης, καὶ Θετταλὸς ἑτέρωθεν.* H. e. *Ambitum putei ornabat lapis Chius, Lacedaemonius et Thessalicus.* Sic sensum hujus loci capio. Verum is scriptor mythographus ad historiam horum marmorum nihil confert.

monasterium S. Laurae s. Athanasii Athonitae, vulgariter *S. Laura* dictum, splendidissimum illius montis monasteriorum, referente Britanno *Huntio* apud Walpolium in *Memoirs* etc. Londini 1817. p. 221. Conditum hoc monasterium imperantibus Nicephoro Phoca et Joanne Tzimisce (a. 963 — 976.), testante Jo. Comneno in Descript. montis Atho (ad calcem Montefalconii Palaeogr. Graec. p. 452.); de quo tempore aedificationis hujus sacelli conferenda Anonymi quoque historia ms. apud Hasium ad Leonem Diaconum ed. Bonn. p. 426. Atracium hoc marmor esse *) Thessalia vicina suadet, et mirabor, si non in aliis quoque ejusdem montis monasteriis idem marmor saepius inventum aliquando fuerit, quanquam de eo tacentem video J. Comnenum in sua montis Atho descriptione. Sed scrutabuntur futuri viatores docti, Montem Sanctum adeuntes, qui vel me non monente animadvertent, sacella ista cum ecclesiis Macedonicis **) et Constantinopolitanis nonnullius momenti esse in historia marmorum antiquiorum; iidemque Adrianopolin delati, inter lapides illos mille, anno 1430 a Murado II. Turca in eam urbem lavacri condendi gratia e Thessalonica capta ablatos (Jo. Anagnosta cap. 18.), forsan marmor viride Thessalicum deprehendent. Neque tamen omne istud marmor e Thessalonica evanuit. Praeter Sophianam enim ecclesiam (v. initium hujus diatribae) ecclesia quoque Demetriaca sedecim hujus saxi columnas habet, de quo v. Beaujour in *Tableau du commerce de la Grèce* Vol. I. pag. 43, Cousinéry *Voyage dans la Macéd.* Vol. I. pag. 42.

Antiquiorem, i. e. apud gentiles, marmoris Atracii usum praeter Julium Pollucem supra allatum testatur S. Gregorius Nyssenus in homilia tertia in Ecclesiasten (opp. ed. Paris. 1638. Vol. I. p. 398.):

---

*) Atracii marmoris σορόν (sarcophagum) Constantinopoli invenit Clarkius Itinerar. Vol. 4.

**) Decem columnas marmoris veterum viridis habet quoque metropolitana ecclesia Edessae Macedonicae (Vodinorum), referente Cousinerio in Itin. Maced. Vol. I. 81. Edessae incolae nunc sunt Bulgari.

Ποικίλλει δὲ ταῖς ἔνδον τῶν οἰκημάτων διασκευαῖς. Ἐκ Λακώνων δὲ καὶ Θεσσαλῆς (Θεσσαλίας) καὶ ἐκ Καρύστου λίθους ἀναπτύσσεται. H. e. *Variat autem* (homo mundanus et secularis s. delicatus) *interna quoque aedium exstructione. In lucem protrahitur saxum e Laconica et Thessalia Carystoque.* Ubi de hominibus gentilibus sermonem esse patet. *) Idem S. Gregorius ibidem p. 400.: *Καὶ τούτων προβεβλημένα γυμνάσια, καὶ ταῦτα περισσῶς διὰ ποικίλων μαρμάρων εἰς κόσμον ἐξησκημένα, στοαί τε πανταχόθεν περὶ τὴν οἴκησιν Νουμιδίοις ἢ Θεσσαλοῖς ἢ Αἰγινήταις στύλοις ὑπερειδόμεναι.* H. e. *Et quae ante ea* (lavacra) *sita sunt Gymnasia, magnifice variis marmoribus ad ornatum exstructa, et undique porticus circa aedes, Numidicis, aut Thessalicis, aut Aeginneticis columnis innixae.* Chrysolôras (sec. XV.) in epistola ad Joannem Palaeologum imp. (p. 119. ed. Paris. p. 90. ed. Ven.): *τῶν ἀπὸ Θετταλίας λίθων* (saxorum Thessalicorum). Loquitur Chrysoloras de lapidibus CPoleos pretiosis.

Et haec fere de marmore viridi Thessalico. Cui num tribuendae sint octo illae columnae celebratissimae S. Sophiae, de eo videant viri doctiores testesque oculati utriusque marmoris, Atracii et Lacedaemonii. Anonymus igitur de S. Sophia (Antiquitt. CPolit. lib. 4. ed. Paris. p. 66. ed. Ven. p. 58.): *Τὺς δὲ ὀκτὼ πρασίνους κίονας τοὺς ἀξιοθαυμάστους ἐκόμισε Κωνσταντῖνος στρατηγὸς ἀπὸ Ἐφέσου.* Ultima

---

*) Carystii quoque species quaedam viridis fuit, nisi omne istud saxum. Statius silv. 2, 2, 93.: *Et gaudens fluctu certare Carystos.* Ubi *fluctus aequare* mavult Salmasius. Dubium tamen, num hoc Statii loco de *colore* marmoris sermo habeatur. Neque minus dubii sequentes Statii loci, sc. Silv. 4, 2, 28. (*et glauca certantia Doride saxa*). Item 1, 2, 149. (*concolor alto vena mari*). Hi loci viridis hujus marmoris *nomen* omittunt, colorem memorant. Rem tamen indubie aperit Isidorus origg. 16, 5, 15.: *Carystium* (marmor) *viride.. ejus viriditas.* Paulus Silentiarius in descript. S. Sophiae, 2, 203.: *Ὅπη καὶ χλωρὰ Καρύστου Νῶτα μεταλλευτῆρι χάλυψ ἐχάραξεν ὀδόντι* (*ubi et virentia Carysti terga lapidario dente ferrum sculpsit.*)

sic praebet Codinus (de originibus CPolit. p. 65. ed. Paris. p. 51. ed. Ven.): ..*ὑπὸ* (*ἀπὸ*) *Ἐφέσυ λελατομημένους*. Unde consequi videtur, Ephesi esse excisas; sed vide, ne *λελατομημένυς* idem sit quod *e saxo una mole excisas* (*μονολίθυς*) i. e. *praegrandes*. Atque omnino haec vox ab antecedentibus *ὑπὸ* (*ἀπὸ*) *Ἐφέσυ* separanda est. Eas num Paulus Silentiarius in sua S. Sophiae descriptione respiciat, invenire equidem non potui.

Venio ad *marmor viride Lacedaemoniorum*, posterius genus marmoris viridis veterum. In quod priusquam inquiram, monenda quaedam videntur de erroribus virorum doctorum.

Et primo quidem Caryophilus (l. c. p. 39. ed. Vindob.) marmor Lacedaemonium idem esse putat cum isto, quod inveniebatur *Croceis*, vico Laconico, prope Gythium, Lacedaemoniorum navale. Sed marmor Croceum minus nobile fuisse videtur, coll. Pausania 3, 21, 4: *ἐπὶ θάλασσάν τε ἐς Γύθιον καταβαίνοντί ἐστι Λακεδαιμονίοις ἡ κώμη καλυμένη Κροκέαι· ἧς ἡ λιθοτομία, μία μὲν πέτρα συνεχὴς ὑ διήκουσα. Λίθοι δὲ ὀρύσσονται σχῆμα τοῖς ποταμίοις ἐοικότες, ἄλλως μὲν δυςεργεῖς· ἢν δὲ ἐπεργασθῶσιν, ἐπικοσμήσαιεν ἂν καὶ θεῶν ἱερά. Κολυμβήθραις δὲ καὶ ὕδασι συντελοῦσι μάλιστα ἐς κάλλος. Θεῶν δὲ αὐτόθι πρὸ μὲν τῆς κώμης Διὸς Κροκεάτα λίθυ πεποιημένον ἄγαλμα ἕστηκε.* Ubi sic legendum censeo: *Ἧς ἡ λιθοτομία πέτρα μὲν συνεχὴς, οὐ διήκυσα δέ. Λίθοι δὲ* etc. H. e. *Qua vero ad mare versus Gythium descenditur, vicus est Lacedaemoniorum, cui Croceae nomen. In eo lapicidina est, constans saxo contiguo, nec tamen continuo* (totum montem penetrans). *Ceterum fodiantur ibi lapides fluvialibus similes sed difficiles fabricatu, ubi vero elaborati fuerint, vel deorum templa ornare possunt. Balneis et puteis multum contribuunt ad gratias. Quod deorum simulacra attinet, ante vicum stat Jovis Croceatae factum e lapide signum.* Utut legas in loco Pausaniae, de quo v. Viros doctos,

saxa vici Crocearum erunt distinguenda tum a saxis Taenariis (Gythium a Taenaro satis dissitum fuit, coll. Strabone 8, 5, 2. p. 363. ed. Casaub.) tum a Lacedaemoniis. Inter marmora pretiosiora hoc saxum referendum non fuisse, Pausaniae locus satis testatur. Comparatur enim cum lapidibus qui reperiuntur in fluviis, additur vero, *adeo* deorum templis ornandis inserviisse. De colore tacet Pausanias. Equidem vix putem, hoc saxum marmor fuisse, cum Pausanias difficile elaboratu dicat. Lacedaemonii vero saxi metalla in monte Taygeto fuere, coll. iis, quae deinceps narrabo. Taygetique saxum non fuit *πέτρα συνεχής*, sed frustis constitit.

Marmor Lacedaemonium cum alio quoque marmore confunditur, scilicet Taenario, qui error est Winckelmanni (*Vom Ursprunge der Kunst.* opp. Vol. III. p. 34.), afferentis Sextum Empiricum 1, 14, 7.; deinde Isidorum origg. 16, 5. initio. Sexti verba sunt haec: *Καὶ τῆς Ταιναρίας λίθυ τὰ μὲν μέρη λευκὰ ὁρᾶται, ὅταν λεανθῇ· σὺν δὲ τῇ (τῷ) ὁλοσχερεῖ ξανθὰ φαίνεται* (*Taenarii saxi laevigati particulae albae videntur, cum toto flavae*). Fabricius de viridi marmore hunc Sexti locum ita intelligit, ut *ξανθὰ* colorem inter viridem fulvumque denotet medium. Sed *ξανθός* est fulvus rubeusque. Deinde Sextus de *particulis* quibusdam saxi Taenarii loquitur, non de *toto* saxo, cui istae opponuntur; quae *per se* spectatae albae videantur, flavae *cum toto*. Tacet de colore totius saxi. Taenarium vero saxum nigrum fuit, quod clare testatur Plinius H. N. 36, 18. (29): *sunt et nigri* (lapides), *quorum auctoritas venit in marmora sicut Taenarius.* Maculas vero alius coloris illi interspersas fuisse e Sexto cognoscimus.

Jam vero de *colore* saxi Lacedaemonii disputetur. Isidorus l. c.: *Non tamen omnia* (marmora) *e rupibus exciduntur, sed multa sub terra sparsa sunt et pretiosissimi generis, sicut Lacedaemonium viride, cunctis hilarius, repertum prius apud Lacedaemo-*

nes, unde et vocabulum traxit. Praeiverat Plinius H. N. 36, 7. (11.): *Non omnia* (marmora) *tamen in lapicidinis gignuntur, sed multa et sub terra sparsa. Pretiosissimi quaedam generis, sicut Lacedaemoniorum viride, cunctisque hilarius.* Utroque loco marmor illud *Lacedaemonium* dicitur, non *Taenarium*, quod nigrum fuit. Ceterum haud levis momenti in loco Isidori, collato cum verbis Plinianis, est vox *prius.* Loquitur scriptor de marmore *vetere*, tum (sec. VIII.) forsan deperdito: Plinius de marmore, sua potissimum aetate usitato notoque. Postremo Winckelmanni errorem Rupertius quoque commisit ad Juvenal. 11, 173., ubi *Lacedaemonium* orbem de saxo *Taenario* male intelligit.

In marmoris viridis Lacedaemoniorum historia praeoccupata quaedam sunt testimoniis Plinii Isidorique modo allatis. Et primo quidem colorem ea ostendunt; dein non e lapicidinis caedi hoc marmor, uterque scriptor narrat, sed sparsum inveniri sub terra frustatim. Quod quomodo conciliari possit cum Strabone (8, 5, 7. p. 367. ed. Casaub.), doctiores viderint. Ergo summus Geographus, *εἰσὶ δὲ λατομίαι*, ait, *λίθου πολυτελοῦς, τοῦ μὲν Ταιναρίου, ἐν Ταινάρῳ, παλαιαί· νεωστὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Ταϋγέτῳ μέταλλον ἀνέῳξάν τινες εὐμέγεθες, χορηγὸν ἔχοντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πολυτέλειαν.* H. e. *sunt autem lapicidinae saxi pretiosi, primo Taenarii, in Taenaro, veteres: nuper vero* (ultimis reipublicae temporibus, vel imperante Augusto) *in Taygeto quoque metallum quidam aperuere permagnum, auxiliatricem habentes Romanorum magnificentiam.* Ubi de saxo continuo cogitandum esse videtur, cum Plinius atque Isidorus de saxis frustatim sub terra repertis loquantur. Verum latomia s. metallum is quoque terrae excavatae locus dici potest, ubi saxa non continua inveniuntur, sed frustatim jacentia magnâque copiâ. Strabo igitur, Plinio antiquior, huic non penitus repugnat: alter, puto, supplet alterum, quanquam Strabo de colore saxi e Taenaro Taygetoque effossi non loquitur.

Usum marmoris Lacedaemonii apud Romanos (Thessalica s. Atracia metalla non exercuisse videntur) sequentia scriptorum Latinorum testimonia illustrabunt. Martialis epigr. 6, 42, 12. (de Etruscis thermis): *Illic Taygeti virent metalla.* 9, 77, 9. (de balneo Tuccae): *Et quod virenti fonte lavit Eurotas.* Juvenalis 11, 173: *Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.* Statius silv. 1, 2, 148: *Hic dura Laconum saxa virent.* 1, 5, 40. (balneum Claudii Etrusci): *Vix locus Eurotae, viridis cum regula longa Synnada distinctu variat.* 2, 2, 90. (villa Surrentina Pollii Felicis): *Hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi, Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.* Aelius Lampridius in Heliogabalo cap. 24.: *Stravit et saxis Lacedaemoniis et porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas vocavit. Quae saxa usque ad nostram memoriam* (sec. IV.) *manserunt; sed nuper eruta et exsecta sunt.* Prudentius adv. Symmachum 2, 247.: *Quae* (saxa) *viridis Lacedaemon habet.* Sidonius Apollinaris carm. 5, 38: *Post caute Laconum Marmoris herbosi radians interviret ordo.* 11, 17.: *Hic lapis est de quinque locis, dans quinque colores: Aethiopus, Phrygius, Parius, Poenus, Lacedaemon, Purpureus, viridis, maculosus, eburnus et albus.* 22, 129.: *Herbosis, quae vernant marmora, venis.* Graecorum de hoc marmore locos, unum Julii Pollucis, alium Gregorii Nysesni, tertium Eumathii, supra attuli in illustratione marmoris Atracii. Addo Lucianum in Hippia cap. 5.: *Λακαίνῃ λίθῳ κεκοσμημένος* (conclave balneatorium). Themistius orat. XVIII. p. 223. ed. Hard. (ed. Dindorf. p. 271.): *Καλλύνονται οἱ τοῖχοι καὶ τὰ ἐδάφη λίθῳ Λακαίνῃ καὶ Λιβύσσῃ καὶ Αἰγυπτίᾳ.* Alios Graecorum locos de hoc marmore non inveni; duosque, non plures deprehendi apud scriptores historiae Byzantinae. Paulus Silentiarius, Justiniano imperatori coaevus, in descriptione S. Sophiae 2, 211.: *Καὶ χλοερὸν λάϊγγος ἴδοις ἀμάρυγμα Λακαίνης.* (*Hic etiam videbis virentem Laconici saxi splendorem.*) Procopius de aedificiis 1, 10.: *Τῶν δὲ μαρμάρων ἔνια μὲν λίθου Σπαρτιάτου ἐκεῖ, σμαράγδῳ ἴσα.* H. e. *Sunt ibi quaedam*

illorum marmorum, scilicet Spartana (in palatio Justiniani imp.), *smaragdum aequiparantia.* Eodemque Spartani saxi nomine jam Martialis nostrum profert epigr. I, 56, 5.: *Quisquam picta colit Spartani frigora saxi.*

De *colore* saxi Lacedaemonii, item de *usu* ejus ita Clarkius (Travels 2, 3, i. e. Tom. 4. pag. 283. not. 6): *It should therefore seem, that the Atracian, rather than the Lacedaemonian green marble, was used for the ornaments of this edifice* (S. Sophia CPolitana). *The author, who has bestowed some pains upon the subject, was once induced, by an observation of Pliny, to believe, that the green columns in St. Sophia were of Lacedaemonian marble.* (*See Tomb of Alexander, p.* 42. *Note k. Cambridge* 1805.) *The Lacedaemonian was one variety of the Verde-Antico; but it was green and black, instead of green and white. Caryophilus, after citing Silentiarius, says: De octo columnis, quas posuit Justinianus in templo Sanctae Sophiae, Silentiarius intelligit πρασίνους τοὺς ἀξιοθαυμάστους, admirandas prasini coloris, ut habet Codinus* (*de Origg. Constantin. p.* 65. *ed. Paris.*). Quemnam Plinii locum inspexerit Clarkius Britannus, ego ignoro. Non locum, puto, supra citatum, sc. ex libro 36, 7. (11.) Ibi enim plane contrarium narratur (*cunctisque hilarius*). Unde hoc marmor Lacedaemonium respondebit speciei primae vel tertiae Pauli Silentiarii, cujus locum dedi initio hujus diatribae; quamquam ego dubius haereo, num apud Silentiarium statuendae sint species marmoris Atracii tres, an solummodo duae, quarum posteriori alia accesserit, ut species ejus inferior. Deinde absurdum est, quod in seq. habet Caryophilus, repetitque Clarkius, de Silentiario et Codino. Paulus Silentiarius vixit seculo VI., Anonymus antiquitatum CPolitanarum auctor, sive, ut alii volunt, Codinus,

sceulo XV. Quomodo igitur (sic vult Caroyphilus) Silentiarius de loco quodam Codini judicare potuit?

Usum marmoris viridis Lacedaemonii testimonia scriptorum maximopere Latinorum aperuerunt. Et his, Romanis inquam,*) usum ejus potissimum assignaverim, minus Graecis aevi serioris (de Graecis veteris aevi nihil constat). Vidimus de ea re copiosa aevi Latini testimonia inde a Strabone (hunc Latinis in hac re adnumero) usque ad Sidonium Apollinarem; Graecorum seriorum pauciora; Byzantinorum paucissima. Unde, si quis metalla viridis veterum marmoris oblivioni tradita dixerit, id de Lacedaemonio genere vix temere statuet. Peloponnesus enim fere omnis inde a Mauricio imperatore (a. 582—602.) per annos fere 218 Slavis paruit (*Fallmerayer*, Geschichte der Halbinsel Morea. Vol. I. p. 184.), ne Monembasia quidem excepta quam Slavinicae terrae claris verbis tribuit Itinerarium S. Willibaldi, Anglo-Saxonis, deinde Eichstadiensis in Bavaria episcopi, c. 2, 15. (Acta Sanctorum ad VIII. Jul. p. 504.): *Et inde* (e Sicilia) *navigantes* (viatores) *venerunt ultra mare Adrium ad urbem Manafasiam*

---

*) Marmoris viridis in Italia aliisque terris occidentalibus reliquias equidem saxo potissimum Lacedaemonio tribuerim, cujus metalla Romanorum magnificentiae inserviisse supra vidimus. Atque exercita adhuc fuisse seculo post Chr. tertio, Aelii Lampridii locus de Heliogabalo imp. supra allatus satis ostendit. Fieri tamen potuit, ut usu tandem absumerentur; quod quando evenerit, memoriae traditum non invenio. Deserta vero haec metalla fuisse a Romanis seculi quarti fine, cum imperium inter Honorium Arcadiumque divideretur, per se probabile est. Certe Sidonii Apollinaris testimonia (scripsit fine seculi quinti), marmor e vetustioribus aedificiis desumtum significabunt: Peloponnesus enim Romae tum parere desierat. Rara vero hujus marmoris apud Byzantinos Scriptores mentio facit, ut isto tempore ejus metalla usu absumta, vel oblivioni tradita fuisse exstimem; marmoraque Lacedaemonia a Procopio Pauloque Silentiario allata, vetustioribus aedificiis detracta statuo. Postremo marmora viridia medio aevo e Graecia in Venetorum metropolin allata, utri generi, Atracio an Lacedaemonio accensenda sint, testes oculares definient. Veneti certe nautae illo aevo marmora ex omni Graecia advehere jubebantur.

in Sclavinica terra. Ubi vox *Manafasia* vix aliud est quam *Monembasia;* incertum, utra sit primitiva, quamquam *Μονεμβασίαν* a *μόνη* s. *μιᾷ βάσει* derivari constat. Nomen vero *Monembasiae* non ante seculi octavi finem, sc. a. 787., in monumentis Graecorum Byzantinorum invenio, coll. Synodo septima s. Nicaena II., ubi occurrit in subscriptionibus nomen episcopi Monembasiae v. Mansi concil. T. XII. p. 1109. T. XIII. p. 145. 392. Sequitur seculum nonum decimumque, sive Novella Leonis de thronis (§. 27.). Factum autem illud Sancti Willibaldi iter anno 723. sqq., narratumque brevi post a Sancti coaetanea et consanguinea, S. Walpurga, Anglosaxonica muliere, postea sanctimoniali coenobii Heidenheimiensis in regno hujus aevi Württembergico. Videatur de his Jo. Baptista Sollerius ad Acta Sanctorum I. c. p. 488. 492.*)

Ita plane fieri poterat, ut Peloponnesi remotae, cujus imperium a Graecis pridem amissum erat, metalla quoque in oblivionem abirent; quod secus in Thessalia, a Byzantio minus remota. Et sedebant quidem in Thessalia quoque Slavi, jugi Byzantini satis diu immunes (Histor. Thessalonicae p. 71.), e. g. Belegezitae**) et Ber-

---

*) Moreae (Peloponnesi) nominis originem Slavicam bene monstravit *Fallmerayerus* noster (Gesch. der Halbinsel Morea während des Mittelalters. Vol. I. p. 243.) Est Morea *terra maritima*, a Slavico *More*. Hancque ipsam formam (More) diligentissime servavit simplicior Moreae forma *Mora* (*Μῶρα*), quam ter habet Mazaris, seculi XV. Graecus, apud Boissonadium in Anecdd. Gr. Vol. III. p. 117. 119. 124. Idemque Mazaris Slavorum Peloponnesiacorum cum aliis barbaris memoriam recolit ibidem pag. 174.: *Ἐν Πελοποννήσῳ, ὡς καὶ αὐτὸς οἶδας, ξεῖνε, οἰκεῖ ἀναμὶξ γένη πολιτευόμενα πάμπολλα, ὧν τὸν χωρισμὸν εὑρεῖν νῦν οὔτε ῥᾴδιον, οὔτε κατεπεῖγον. Ἃ δὲ ταῖς ἀκοαῖς περιηχεῖται, ὡς πᾶσι δῆλα καὶ κορυφαῖα, τυγχάνει τοιαῦτα. Λακεδαίμονες* (Tzacones), *Ἰταλοὶ, Πελοποννήσιοι* (Patrenses etc.), *Σκλαβῖνοι*, *Ἰλλυριοὶ* (Albanitae), *Αἰγύπτιοι* (Zigeni) *καὶ Ἰουδαῖοι (οὐκ ὀλίγοι δὲ μέσον τούτων καὶ ὑποβολιμαῖοι), ὁμοῦ τὰ τοιαῦτα ἐπαριθμήμενα ἑπτά.* Scripta est haec epistola 21. Sept. 1416.

**) De his Belegezitis intelligo Theophanem in chronographia (p. 400. ed. Paris. p. 318. ed. Ven.), ubi occurrit *Ἀκαμῆρος, ὁ τῶν Σκλαβίνων τῆς Βελζητίας ἄρχων,*

zitae *), quos in lucem protraxi ex Actis S. Demetrii (Histor. Thess. p. 54. sqq.) Omnem tamen Thessaliam his barbaris paruisse nondum legi; et commercia Graeci cum iis habebant seculo VII., coll. hist. nostr. Thessalon. l. c. p. 60. 62. Unde Atracium marmor tum quoque i. e. post Mauricium imperatorem, e Thessalia peti poterat, ut frumentum ex ea terra eodem aevo a Graecis petebatur.

Tubingae mense Julio 1836.

νυχθεὶς ὑπὸ τῶν Ἑλλαδικῶν ἐξαγαγεῖν τοὺς υἱοὺς Κωνσταντίνου, καὶ προχειρίσασθαι ἐξ αὐτῶν βασιλέα (*Acamerus, Sclavinorum Belzetiae princeps, instigatus ab Helladicis ad educendos Constantini filios, atque eligendum ex iis imperatorem*). Ibi vox *Ἑλλαδικῶν* maximopere facit, ut de ipsa Graecia cogitem, non de Thracia cum Strittero (Memoriae etc. ind. histor. p. 250.). Hanc Theophanis Belzetiam e septentrione Athenarum quaerendam esse, monet *Fallmerayerus* noster in libro eximio: *Entstehung der heutigen Griechen* p. 87. 88. Bene quidem, quanquam talia ego neque apud Theophanem l. c. inveni, neque in loco parallelo Zonarae 15, 13. Ceterum res a Theophane narratae incidunt in annum secundum Irenes imperatricis, i. e. annum Chr. 799. Helladici autem secundum sermonem istius aevi sunt Thessali.

*) Hos Berzitas Actorum S. Demetrii invenisse mihi videor apud Cedrenum (histor. p. 67. ed. Paris. Tom. II. ed. Ven. p. 369.), ubi eorum terra dicitur *Βερζητία* (*Berzetia*). Agitur de bello Graecorum Bulgarico annoque XXXIII Constantini Copronymi (a. Chr. 774., mense Octobr.), coll. Cedreno l. c. Eam quoque regionem nullo jure Thraciae assignat Stritterus in Memoriis l. c. p. 250. Berzitarum nomen ego comparo cum vocibus Slavicis *Brz*, *Brza* etc., coll. *Schaffarikio* in libro eximio: *Ueber die Abkunft der Slawen, nach Lorenz Surowiecki.* Ofen 1828. p. 161.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Abhandlungen der Bayerischen Akademie der Wissenschaften - Philosophisch-philologische Classe = I. Classe

Jahr/Year: 1837-1838

Band/Volume: 2-1837

Autor(en)/Author(s): Tafel Gottlieb Lukas Friedrich

Artikel/Article: De marmore viridi Veterum 131-150